

rum molestiæ creant optimis quibusque. Aristoteles 4
Ethic. c. 8. tria Scurræ tribuit. (1.) quod à radiculis vincan-
 tur & superentur propterea, quod ita ejusmodi turpibus
 jocis & sermonibus dediti sunt, ut non possint sibi tempe-
 rare, quin se ipsos vel alios deridendos proponant. (2.)
 Nec sibi nec aliis parcunt, modò risum movere possint.
 Scurræ enim, inquit Cicero, proprium est, in omnibus
 risum quærere, qui tenuissimus ingenii fastus. (3.) Scurra
 ea dicit, quæ homo liber nunquam dixerit, & interdum ne
 quidem audierit. Vide inter alia *Commentar. Magiri in*
lib. 4. Ethic. Aristot. c. 8. Exempla Scurrarum sunt ubivis
 obvia.

§. XIV. Rusticitas seu ἀγροικία peccat in defectu,
 quando nec delectare nec delectari possumus, sed omnes
 jocos, omnem honestam oblectationem aut conversatio-
 nem simpliciter averfamur. Tales qui sunt, ad omnem
 conversationem ineptissimi sunt & Græcè ἀγροικοί, σκληροί,
 ψυχροί, στυφοί appellantur; Latine inurbani, insulsi, te-
 trici, morosi, queruli. Hic addendum, quod sæpè con-
 tingat, ut quis in dicendis jocos scurra sit, sed agrestis in
 audiendo; vel, ut quis agrestis sit in dicendis jocos, sed
 scurra in audiendis; vel, ut scurra sit in jocando conatu,
 sed agrestis in successu. Ad summam. Scurrilitas & Ru-
 sticitas sæpissimè conveniunt & sede morantur in una. Et
 hæc de urbanitate ejusque oppositis dixisse sufficiant.

§. XV. Sequitur tertia virtus Homiletica, quæ
 vulgariter appellatur veritas, est autem hæc vox ambi-
 gua & sumitur interdum Theoreticè pro conformitate
 conceptûs mentis cum re; interdum verò practicè pro
 virtute morali, cui opponitur mendacium, quæ græcè
 ἀνώμυτος est, latinè verò vocatur *Integritas, candor, sin-*
ceritas &c.

B

§. XVI.